

regrinans, h. e. nunquam committat, ut exterorum quispiam, ullo abs se modo laesus, uel male habitus, quasi offensae patiens, nec respondere, nedum uindicare quicquam curans, negligatur, sicque, non conciliatus, dissimulato paulisper dolore, ad uindictam, clam exercendam, adducatur. Scilicet fieri potest, ut peregrinator, ebrietate, ira, alioque affectu impulsus, uel amicum sibi aequalem, uel uilioris etiam conditionis hominem, imo feruum, indignius, uel seuerius tractet, nec statim cum eo, quippe uel nullum aegritudinis sensum prodente, uel mali nihil afferre posse credito, in gratiam redire studeat, breui autem post tempore interiecto, ab eo fat grauem offensionis, aliquantisper dissimulatae, ultionem pati cogatur. Quam quidem ob causam uel illico eum, quocum aliqua forte *σύρραξις* ipsi intercedit, sibi reconciliet, uel, quod tutissimum fuerit, ita cum omnibus agere studeat, ut, quoad eius fieri potest, etiam minima litis, aut offensionis, materia euitetur, ipsique hominis mansueti, facilis beneque morati laus ubique tribuatur. (d)

nec detectam nudamque semper mentem exhibeat. Prae se ferat notitiam, e. g. locorum, hominum, ac rerum, quam non habet, ne, nouus plane creditus, decipiatur. Nomen nunquam, uel raro diffiteatur, officium ac dignitatem saepe. Qua ratione res suae affligi possint, uel amplificari, ac conseruari, nemini significet. Quoties siue hospitium, siue locum mutare, cogitur, tum demum propositum declaret, cum illud perficere potest, uid. hic laudatus supra de ROHR in introduct. ad prudent. (*Einleitung zur Klugheit*) Cap. XIII. p. 253. seqq.

(d) Hunc in finem legi merentur scriptores, qui conuersationis, recte instituendae, rationem docuerunt, quos inter praecipuos